


complet

Qui contempta legationis amplitudine
 Ab hostibus retentus est. — RE. Iam tu quoque sic existumas
 Eodem exemplo posse Romanos utier?
 Et hos meliores non fore Karthagine oblivisceris?
 VA. Num Regulum, patres, ad certam mortem mittitis?
 Virum fortissimum? Hercole istuc vobis agere est nefas.
 Quaeso vos, ut captivos permutetis. — RE. Ut fallacia
 Triumpet hostium? Hoc nunquam videre cupio.
 Spectate sultis risum Bodostoris; Romana civitas
 Est in periculo. Videte, ne quid damni res publica
 Iam capiat insuperabile. — VA. Hei scribat in libro pontifex:
 Dies sacer sit hodiernus. Namque hoc die tortoribus
 Pater patriae traditus est Regulus, vir optimus;
 Fortuna belli nulla delet istanc ignominiam.
 RE. Acerbum patres, est, quod servos vos monere cogitur,
 Ne ventus animi vagus, sed moveat prudentia
 Patrum sententiam. Num lumen magnitudinis
 Romani imperii ante mortis portam extinguitur mihi?
 Putabam me Torquato, Curtio Fabisque nuntium
 Eius modi de filiis adlaturum suis,
 Qui gaudio adficiat maiorum priscorum pectora;
 Tum laetus in via obscura grassarer. Sed pro nuntius
 Tristis erit meus. At ego servos nolo vos cogere.
 Nunc ultimum adloqueror vos; moriens verum loquitur.
 ME. Honorifice pol audiemus, quasi loquatur deus.
 RE. Quid istuc est, quod vos, patres, retinet tantopere,
 Ut oblidiscamini Romae salutis? An istuc est,
 Quod me senem mori oportet? Rem tenere non queo.
 Nam sum Romae et quod maius est, inter vos; qualibet
 Oculos vorto, viros cerno acris et fortissimos.
 Nam quando Romanus aliquis interrogaverat,
 Morine liceret? Id modo curavit, ut cum laudibus
 De vita migraret. An id vos permovet, quod iam mihi
 Tormenta comparantur? Vidi ego Romanas aquilas
 In delubris Karthaginensum, portas videram
 Patentis illorum; audivi crepitum mearum compedium,
 Karthaginensium epinicia. Ubi sunt dolentiae,
 Quae sint istis similes? Utinam tantopere torquear,
 Prioris ut meos dolores oblivione conteram!
 Sed istuc aegre spero; nam priusquam carnufex
 Opus adgressus erit, mea sensim evanescet anima
 Et in locis obscuris vobis praestolabitur,
 Quo me sequemini vos omnes. Tum convenient
 Umbras umbrae laetae et sic inter se conferunt:
 Mors vostra flammam multis excitavit animis.

(Ad proximum numerum)

Per.
Lat
011

Pauca exemplaria supersunt

JOSEPHI FORNARI operis, cui titulus:

COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

Editio altera locupletior.

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteras nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

FRIDIANUS-FRANCISCULI PRANDIUM

Singulae pretio italic. libell. 2.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integralm ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXVI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 550 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 1100, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XXIV

Romae, Mense Ianuario MCMXXXVII

Fasc. I

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXVI est pro Italia libell. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequias; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* sive ad JOSEPHUM FORNARI doctorem *Romam, Via del Governo Vecchio, 96* sive ad *Typographiam Polyglottam Vaticanam, Città del Vaticano*.

“ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXXXVII

Superiorem annum ineuntes et mentem nostram de renovando apud viros doctos universi orbis latinae linguae usu revocantes, ad finem consequendum oportere dictabamus « ut studium latinitatis, cuius sermo est naturalis significatio, publice ac privatim nunquam intercipiatur; quin etiam in flore servetur, vitalique lympha sustentetur assidue, non modo Auctorum lectione, sed verborum apud lexica diligenti perscrutatione; ex qua insperata neque prius credibilia auxilia ad res vel hodiernae vitae communia exprimendas edacentur ». Circa autem ea quae nova sunt, neque relationem ullam cum antiquis habere reperiantur, « pro his utique — edicebamus — nova verba creentur, sed maxime e graeco fonte hausta, quemadmodum pro plurimis scientiae inventis vulgo factum est; quod quidem et intelligentiam expeditiorem efficiet »; de ceteris commendabamus ut eae cautiones adhicerentur, quae satis hisce quaesitis responderent: Quomodo latinus homo id dixerit? Quam ego propono vox a latino homine comprehensane fuerit?

Iuvat hodie peragratum anno MCMXXXVI iter repetere ad cognoscendum utrum in ipsa vel alia via processum an regressum sit.

Offeruntur imprimis moestitiae signa: sunt commentarii tres, qui campum dereliquerunt: *Palaestra latina*, quae cum studio moderatore suo nefarie a latronibus illis anarchistis Hispanicis interempta est; *Nuntius radiophonicus Vaticanus*, et *Sanitatis vires* (italice *Le forze sanitarie*); quorum alter edi omnino dessit, alter latinas paginas abolevit. Contra, vero, longe plura steterunt: fuit imprimis *Societas latina Monacensis*, quae non solum consilio, sed re et opere nobiscum consentire visa est, tum articulos latine scriptos frequentiores in commentario suo reddens, tum fideliter acceptis animadversionibus a sociis exhibitis circa vocabula nonnulla ex satis abundantia, at fortasse tumultuaria nimis, serie a se proposita, haec inde expungens.

Apud Italos nos, iussa a supremo studiorum moderatore nova latinae linguae excolendae ratione, vel, melius, restituta antiqua illa ac diu neglecta, imo obliterata ratione, quae sub humanitatis nomine tot saecula hominum animos ad imperiosam latinitatem informavit, hīc illic surgere atque apparere vidimus opera, quae ad hunc cultum facilis ducere possent, praesertim verba et locutiones suppeditando, quae ad colloquia instituenda adducerent; in quibus, summa profecto cum animi nostri expletione, invenimus vocabula fere omnia quae iamdiu per ALMAM ROMAM hanc nostram in usum nos inveximus, imo etiam in opusculo composita pervulgavimus sub titulo *Communia vitae*, cuius alterius editionis exemplaria divendita iam prope omnia sunt.

Est igitur causa, neque ea iniusta, cur alacriori spiritu, — siquidem antiquo et immutato illo, quo rem nostram ab initio prosequuti sumus promptior dari possit, — in propositis nostris persistamus; quumque iam opera alia eiusdem generis proxime edenda nuncientur, ex Austria praesertim et Hungaria, speramus fore ut omen aliud nostrum verum evadat, scilicet ut a nobis invocatus ille ex omnibus gentibus coetus « doctorum virorum latinam linguam, latini sermonis intimam vim, formam et rationem optime callentium » constituatur, cuius sit proposita novis nova verba rebus ad trutinam vocare, eaque eligere atque statuere, quae apta magis et consentanea videantur. Interim vero in commen-

tariis, societatibus, academiis quae iam in nostris paginis inita est et subsequetur « palaestra fiat, aut potius ludus, in quo doce, scienter, urbane res agitetur » et coetui illi via sternatur.

Hisce vero propositis, hisce votis necesse est sociorum favor respondeat, neque tantum nomine, sed opera, tum scriptis ludum ipsum participando, tum, non minus, novos socios apportando, qui subnotatione sua vires longi atque assidui laboris nostri sustineant, augeant.

Cuius quidem subnotationis pretium est in Italia libellarum 15; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas lib. 30 exaequet.

Communi vero huic subnotationi altera additur, quam *adiutricem* appellavimus, duplicato utriusque subnotationis pretio. Inter *Patronos* autem Commentarii adscribentur qui summam Italicas lib. 100 exaequament miserint, vel socios quinque novos adduxerint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE commentarii collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad an. MCMXXXVI inclusive, sibi cupiant, mittant lib. 550, si in Italia; pretium duplicatum, nempe lib. 1100, si apud exteras gentes.

Pecunia autem omnis sive pro consociatione, sive pro fasciculorum collectione solvenda est sive apud doctorem JOSEPHUM FORNARI, « ALMAE ROMAE » Moderatorem, Romae, « via del Governo Vecchio, 96 »; sive — idque fortasse exteris sociis expeditius hodie fiet — ad « Typographiam Polyglottam Vaticanam », Città del Vaticano.

Denique has de subnotatione leges in mentem sibi quisque revocet:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit — (quod nullo impedio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.

QUID HOMINUM SOCIETATI EX "ANARCHISMO"?

De hoc argumento scribens, quod hisce diebus universum terrarum orbem lugubri fama occupat, recordatum ipso in vestibulo illud cupio, nihil esse circa malum bonumve in patratis, quod in intellectu antea non fuerit, quippe nihil volutum, nisi ante praecognitum. Hinc enim fit ut «anarchismus», sive «bolscevismus» aut «communismus» aut aliquo eiusdem generis nomine appellaveris, non voluntatis impetu repentina, sed intellectu perversa moliente diuturnis meditationibus fulciatur. «Anarchico» itaque personata sunt vulnera, quae, nomarum ad instar, intima exedunt animae rabie et odio atrocissimis, nec placari possunt nisi totius, dicam, generis humani sanguine effuso. Quaevis enim societas, a domestico familiae consortio ad civiles usque et politicas societates, patremfamilias, magistratus, regem aut praesidem habeat necesse est; nam quum omnis societas numero constet, numerus sine prima unitate, a qua oriatur, vel in quam ascendat unam a pluribus, mathematica necessitate esse non potest. Qui igitur de primo illo iugiter exterminando sententiam amplexus est, singulos exterminaturus omnes et universos ad ultimum delebit. Quid denique si deletis omnibus unus ipse remanserit? Si constare sibi voluerit, quum sit unus toto ex genere, et idecirco primus, violentas sibi inferet manus.

Iamque ex hisce patet «anarchiam» esse bellum atrox et nefarium pugnam adversus Deum, qui reapse et rerum vi primus est omnium, et in quem omnia convergunt; et quum lex, auctoritas, mores, ius, fas, quidquid homines demum ligat atque disponit, ab ipso sint, et — velint nolint homines — auctore illo iugiter perseverent, is qui legem, auctoritatem, ius, fas, religionem, or-

dinem rescindere omnino velle se profiteretur, homicidii simul et sacrilegii sibi notam inurit.

Est ergo Satanicum aliquid in anarchismo, quod verbis explicari non possit, quod vix mente concipere, quod vix in parte summa et obvia considerare possimus; abyssum subter hiantis nequitiae scrutari penitus nequeamus.

Profecto Catilinarium impendens urbi discrimen tantum non fuit, quantum nunc ex anarchismo periculum, impendens orbi terrarum. Vigilantem saluti omnium tunc Roma Ciceronem habuit, quem Patrem Patriae ob servatam rem publicam appellavit; erit ne nunc Cicero alter incolumitati humani generis proprie consulentem et prospicientem? Heu! timeo ne somniculosi nonnulli sint, plures dormitent, plurimi dormiant! Quos, quum horrenda expergeferit dies et haerentes iugulo mucrones morituri receperint, et volitantia circum undique tela et incendia respexerint, sero negligentiae pigebit, pigebit socordiae; sed frustra pigebit. Ita euidem factum est ut electam Europae partem, Hispanicam, videamus hodie augusto suorum sanguine respersam, audiamus gemitus miserabiles gentium illarum, neque satis cogitamus viperinam anarchismo esse indolem, quae alienos quamvis perimat, nihilo tamen secus inexplebilis, nec suis, nec sibi parcit, hospitium pugione rependens.

O utinam me fallat opinio, neque videam easdem ineuntem sententias multitudinem populi concitamat, homines — ut ait Librorum Liber — «sua in aeternum libertate hinc deceptos», inde «velamen malitia habentes libertatem»! Qui quum honores, quos tranquilla republica desprarent — Tullii verbis utor — perturbata consequi se posse arbitrentur, inopes alliciunt oblatis pecuniosorum divitiis, ut socialismo dent operam, cuius est aliena auferre, et quae divitum sunt viritim per populum distribuere; socialismo autem ubi

se addixerint, in anarchismum inducunt animum, proposita et pollicita libertate, auctoritatis et legis vel nomine simul deleto. Libertatem autem esse dicunt, non potestatem et facultatem illam et ius, quo liceat homini bonum agere quominus prohibeatur, sed facultatem et ius patrandi quidquid libuerit. Itaque rem ab intellectus dominatione in voluntatis arbitrium adiungit, neque illud agendum quod rectum sit iubent, sed quod placitum iucundumque videatur.

At quid homines huiusmodi suadere possunt, Numine altius et absolute proclamante: Non occides, non furtum facies, rem non desiderabis alienam? Profecto nihil, si populis religio haereret, si timor Domini, sapientiae omnis initium, familiias, oppida, civitates regeret, et quasi rerum summa ratio dominaretur. At facile, ut essent liberi, Deum inter fabulas amandarunt; amendantibus autem gentes acquiescent. Itaque cardine illo triplici subverso, cui quantum est innititur humanum genus — Deo, vita, re familiari — bellum civile horrendum teterimumque conflatur, quod nec pietas temperat nec religio, nec caedibus parcer manus, nisi antea penitus hoste restincto. Aliquid igitur longe truculentius nobis ostenditur furoribus Sullanis et Marianis, longe ferocius proscriptionibus Antonianis, longe atrocius implacabilibus quoque odiis, quae XVIII labente saeculo Galliam excidiis ubique vastarunt.

Dies hodie apud cultas gentes sunt «quales ab initio non fuerunt usque adhuc, et felices praedicabuntur steriles, et beati qui dormiere in sepulcris»! Hi sunt illius pugnae dies in clangore tubarum et subversione urbium, in vastatione agrorum et incendio rerum, in romphaea scrutante domos, in clamoribus fugientium, in conviciis occidentium, in calamitatibus ineffabilibus, in aerumnis, et angoribus, et terroribus, quorum a consideratione refugit animus, dum stupens in narratione lingua

faticit. Et postquam ad ultimum pugnatum erit quaenam infelix victoria?... Et qualis manebit superstiti populo sors?...

Nolo lugubri carmine prophetiam deducere; at ii quos gentibus praeposuit Deus, videant, caveant, consulant, prospiciant.

S.

DE LATINI SERMONIS NOTIS SINGULARIBUS

IV

De vocabulis non iterandis neque supplendis.

Latine nec iteratur nec suppletur vocabulum quod pluries in sententia eadem aut arte coniuncta uno eodemque fungitur munere.

EXEMPLA: In canibus acerrimus est sensus olfactus; in avibus, visus — Nolo sequi eam philosophiam, quae nos spoliat iudicio, orbat sensibus (CIC.) — Mentis virtus, corporis sanitas, bonum est — Calamitas querula est et superba felicitas (Q. C.) — Et secundas res splendidiores facit amicitia et adversas leviores (CIC.) — Eorum nos magis miseret qui nostram misericordiam non requirunt, quam qui illam efflagitant (CIC.) — Poëta peccat, quum probam orationem affingit improbo stultove sapientem (CIC.) — Pane homines, herbis animalia vescuntur — Omnibus rebus abundant divites, carent pauperes — Pauperibus divitum auxilio, divitibus pauperum opera opus est — Epicurus omne malum dolore definit, bonum voluptate (CIC.) — Quae liberi parentibus, ea coloni antiquae patriae debent (T. L.) — Beneficia meminisse debet is in quem collata sunt; non commemorare, qui contulit (CIC.) — Qui dedit beneficium taceat, narrat qui accepit (SEN.) — Violis succedit

rosa; rosam cyanus *excipit*, cyanum amarantus (PLIN.) — Facinus est vinciri *civem romanum*, scelus verberari (CIC.) — Si ego *sententiam* mutasse, mihi meae *inconstantiae*; quum vos mutetis, vobis *vestra reddenda est ratio* (T. L.) — Aequa Venus Teucris, Pallas iniqua fuit (Ov.) — Quod iste si portare potuisset, non dubitasset auferre (CIC., *Sign.*, XXX, 68) — Ita vivunt multi ut *eorum* vita refellatur oratio — Nos crebro tundentes per avia montium ducunt concitas (APUL., *Metam.*, III, 27) — Per herbulam asinus se proicit et volat, et scabit, et fricat — Neque monere *te audeo*, praestanti prudentia virum, neque confirmare, maximi animi hominem (CIC.).

V

De pronomine cum substantivo consentiente.

Pronomen plerumque cum consequenti substantivo consentit, quod « *praedicatum* » dicimus.

EXEMPLA: *Hoc* sit negotium tuum, *hoc* otium, *hic* labor, *haec* quies (P. j.) — *Haec* est una omnis sapientia, non arbitrari sese scire quod nesciat (CIC.) — *Haec* est illa dies (LUCAN., VII, 254) — *Quae* apud eos iracundia dicitur, *ea* in imperio superbia atque crudelitas appellatur (SALL.) — Ne appetitis consilium, *quae* vis ac necessitas appellanda sit (T. L.) — Si omnia facienda sint *quae* amici velint, non amicitiae *tales*, sed coniurationes putandae sunt (CIC.) — Nec dolor erat *ille*, sed ostentatio (PLIN., *Ep.*, IV, 2, n. 4) — Si transitus *ille*, non populatio fuit (PLIN., *Pan.*, 20) — *Is* denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter merita magna claris viris defertur (CIC.) — *Eas* divitias, *eam* bonam famam magnamque nobilitatem putabant (GALL.) — Animi est *ista* mollities, inopiam paullisper ferre non posse (CAES.)

— Doctorum est ista consuetudo (CIC.) — Sed *haec* alia quaestio est: nos ad propositum revertamur (CIC.) — Est *haec* philosophiae et quidem pulcherrima pars, agere negotium publicum (PLIN.) — Non est *illa* fortitudo, quae rationis est expers (CIC.) — Quidam furtive agunt gratias et in angulo et ad aurem: non est *ista* verecundia, sed infinitandi genus (SEN.) — *Hae* meae sunt imagines, *haec* nobilitas (GALL.) — De provinciae Galliae virtute taceri non potest: est enim *ille* flos Italiae, *illud* firmamentum imperii populi Romani (CIC.) — *Hic* est magnus animus, qui se Deo tradidit (SEN.) — *Hae* fuere hibernae expeditiones Hannibalis (T. L.) — *Hic* Veiorum occasio fuit, urbis opulentissimae Etrusci nominis (T. L.).

VI

De verbis redundantibus.

a) Demonstrativa saepe redundare videntur, quae aut vocabulum aut integrum propositionem inducunt vel definiunt.

EXEMPLA: Exponit *ea*, quibus abundabat, plurima et pulcherrima vasa argentea (CIC., *Sign.*, XXVII, 62) — Messana ab *his* rebus quibus iste delectatur sane vacua atque nuda est (CIC., *Sign.*, II, 3) — His de rebus plura ad te in *ea* epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo (CIC.) — Quanti vero aestimanda est *ista* civitas, ex qua boni sapientesque pelluntur? (CIC.) — Sophocles dicitur *eam* fabulam quam proxime scripserset recitasse iudicibus (CIC., *Sen.*, 22) — *Ilo* saeculo quod aureum perhibent, penes sapientes fuit regnum (SEN., *Ep.*, 90) — *Eo* animo simus inter nos, quo semper fuimus (CIC., *Fam.*, IV, 15) — Iuvenes *hi*, quos modo nominavi, ad iugum accesserunt (CIC., *Tusc.*, I, 47) — Candelabrum erat *eo* splendore, qui ex clarissimis et pulcherrimis gemmis esse debebat (CIC., *Sign.*, XXVIII, 65) — Candelabrum reges *ii* quos dico Romam

attulerunt (CIC., *Sign.*, XXVII, 64) — Inter omnes *hoc* constat, virorum esse fortium toleranter dolorem pati (CIC.) — Milone interfecto, Clodius *haec* assequebatur, non modo ut praetor esset, non eo consule quo sceleris nihil facere posset, sed etiam ut iis consulibus praetor esset, quibus, si non adivantibus, at conuentibus, certe, speraret se posse illudere in illis suis cogitatis furoribus (CIC., *Mil.*, XII, 32) — *Ea* philosophia quae suscepit patrocinium voluptatis procul abest ab *eo* viro, quem quaerimus (CIC.) — Omnes et dicuntur et habentur tyranni, qui potestate sunt perpetua in *ea* civitate, quae libertate usa est (C. N.) — *Huic* Miltiadi, qui Athenas tamque Graeciam liberaverat, hic honor tributus est, ut in Porticu, quae Paecile nominata est, eius imago esset (C. N.).

b) Redundare videntur substantiva « *animus* », « *corpus* », « *voluntas* » et similia, quibus pressius designatur ea hominis pars, cui qualitas inhaeret, aut ad quam refertur actio verbi.

EXEMPLA: Cum *animo* meditaretur in Persas proficisci, nuntius ei venit bellum Athenienses indixisse Lacedaemonis (C. N.) — Nequeo tamen temperare mihi, quin rem saepe agitatam *animo* meo, neque ad liquidum *ratione* perductam, signem stilo (V. P.) — Tua delicto stringuntur *pectorata* nostro (Ov.) — Primo magis ambitione quam avaritia *animos* hominum exercebat, quod tamen vitium proprius virtutem erat (GALL.) — Gemitus ac planctus etiam militum *aures* advertere (TAC.) — Optimus est orator, qui dicendo *animos* audiantium docet, et delectat, et permovet (CIC.) — Gravi *corpori* malvae sunt salubres (HOR.) — Romani super occisorum *corpora* vadere caeperunt (GALL.) — Neque eos in laude positos videmus, qui incitarent aliquando populi *animos* ad seditionem (CIC.) — Armis et robore *corporis* multum super ceteros eminens, alios improvide instantes prostravit, alios in fugam



avertit (Q. C., I. III, XI, 2) — Illorum, quum erunt securi percussi ac necati, *corpora* feris obiicientur (CIC., *Suppl.*, XLV, 119) — Dicendo hominum *mentes* allicere — Saepissime curam et angorem *animi* mei sermone et consilio levasti tuo (CIC.) — Illi qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, *corpora* iuvenum firmari labore voluerunt (CIC.) — Nostros *animos* maximis in rebus et gerendis et sustinendis exercitatos frangi et debilitari molestia non oportet (CIC.) — Ne eius suppicio Diviatici *animum* offenderet, verebatur (CAES., *Bel. gal.*, I, 19, 2).

(*Ad proximum numerum*).

S. Leonardi in Helvetia.

I. JSS.

DE FONTIBUS IURIS ITALICI LINEAMENTA HISTORICA

AETAS NOVA¹

Cuiaci infensissimi adversarii Brugis, ut alias diximus, fuerunt Duarenus (MDIX-LXXXIX) et Donellus (MDXXVII-XCI): minor quidem ille et dialecticae rationis tenacissimus; maior autem hic, utrique scholae, tum dialecticae, tum etiam cultae, acerrius.

Hugo Donellus (*D'Onneau vel Donneau*), Catalunii ad Ararim ortus, studuit Tolosa et Brugis, alumnus Ferrerii et Duareni; non horruit litteras humaniores, tenuit tamen mordicus ius romanum non excolendum esse in se ipso et ad historiam, sed in sua evolutione et ad usum vitae. Nec immerito. Nobis equidem non minor Cuiacio; id unum dolendum, quod religiosis civilibusque factionibus nimis indulserit, et in Cuiacium et Bartolum et utriusque scho-

¹ Cfr. fasc. mens. Novembr. MCMXXXVI.

lam mordacior et intemperantior exstiterit. Ideo caute legenda eius opera; ceterum dudum maxime utilia.

Ineunte igitur saec. XVII iam floret ubique ius: in Italia, in Gallia, in Hispania, in Hollandia, in Germania; floret utraque schola, culta, inquam, et dialectica, et quae ex utraque haurit optima. At hoc saeculo defuere summi; nam post Gothofredum seniorem († MDCXXI), post Fabrum († MDCXXIV) et Fabrotum († MDCLIX), vix invenies in Gallia qui sit Alciati aut Cuiacii dignus alumnus, paullo supra auream mediocritatem, quam dialectice neque attingunt; e quibus recoluisse sufficiat Antonium Dadinum de Altesera et Claudium Ferrarium. Vix mediocres civilistae hispani Gutierrez, Perez et Remos de Manzano; maximus autem, non tamen «romanaista», Suarez.

Paulo altius contendit Hollandia, iuvenili quodam ardore romanum ius adorta ac perscrutata, ut suae renovatae in civili libertate vitae apte accommodaret. Maximus ibidem omnium Hugo Grotius (MDLXXXIII-MDCXLV), qui e iure romano, quasi suae patriae adiunctis adactus, ad ius ascendit «internationale», cuius est quasi pater, et ad ius naturae. Scripsit *De mare libero* opusculum, et opus *De iure belli et pacis*, in quo tamen errores quoque irrepsero non pauci, idque dolendum; his enim detractis, opus est vere monumentum.

Propius ad disciplinam nostram accedit Vinnius (MDLXXXVIII-MDCLVII), cuius *Institutiones*, absolutissimae, maxime pervulgatae sunt etiam in Italia. Neque celeber minus Ioannes Voetius (MDCXLVII-MDCCXIV), cuius *Pandectae codificationes futuras* veluti praeformaverunt, maxime austriacam; nec non Gerardus Nodtius (MCXLVII-MDCCXXV), cuius usitatissimi fuerunt *Probabilium iuris civilis libri quatuor*, et *Commentarius in Pandectas*; quod opus, morte praepeditus, absolvere non potuit.

Germania ultima agonem ingreditur, sed statim prima attingit ac diu tenet. Saec. XVI magistros excipit ex Italia, postea etiam a Gallia; at saec. XVII suos habet magistros; saec. vero XVIII ceteros ipsa docere potest, post Zasium et Haloandrum, per Oldendorp, qui etiam Bononiae studuit; Leunclavium, qui triennio fuit Augustae Taurinorum apud Emmanuel Philibertum et Carolum Emmanuel I; Giphonium, qui Venetiis diu commoratus est et copiose scripsit; Rittershusium, qui Giphonii fuit alumnus et Alberici Gentilis successor in studiorum Universitate Altdorfensi; Garzowium Benedictum minorem; Lauterbachium, omnium celeberrimum, cuius *Compendium iuris omnium* fuit diu prae manibus et a pluribus exornatum commentario; Samuele Strykium, magni aestimatum, cuius opera utiliter dudum consuluntur, sed caute legenda, quum «protestantica» tabe sint infecta; sicut caute legenda etiam opera Leibnitii, qui etiam de iure scripsit, et Heineccii, elegantis et facundi iurisperiti, qui tamen iam pertinet ad saec. XVIII. His addendi Puffendorfius et Cocceius, qui magis iuri naturali et publico operam dederunt, sicut illius aetatis mos erat.

Quid autem profert Italia? Creat tunc temporis ius commercii, et in iure civili inter mediocres non paucos, habet qui supra mediocritatem proculdubio emineant; in philosophia autem iuris attingit cacumina.

Iuris commerciorum conditor habetur ab omnibus Benvenutus Stracca (MDIX-LXXVIII), anconitanus, qui acute *De mercatura* disseruit, *De assecurationibus*, *De adiecto*, etc.; quem sequutus est Sigismundus Scaccia, forte romanus, et Ansaldus De Ansaldis; uterque primo medio saeculo XVII; aliquie satis multi.

In iure civili eminent omnibus, in Italia et extra, Ioannes Baptista De Luca (MDCXIV-LXXXIII). Venosae obscuru loco natus, mox

sibi famam peperit advocati facundi, iuris consulti peritissimi, non ignobilis et copiosioris scriptoris. Iuris communis, magis quam romani puri, studiosissimus, non tamen historica eruditione litterisque humanioribus plane carens, ad praxim praepannis spectans, instituta complura iuris romani et communis ita definit et expolivit, ut ab eodem derivata dein transierint ad iura novissima. Cuius amplissima opera seiungenda eisdem non sunt ab Alciati, Cuiacii et novissimorum romani iuris cultorum opera, et assidue nobis versanda sunt, nec iuris civilis modo sed et canonici studiosis; maxime: «*Theatrum veritatis et iustitiae*, sive decisivi discursus ad veritatem editi in forensibus controversiis canoniciis et civilibus; in quibus in Urbe advocatus pro una parte scripsit, vel consultus respondit»; et: «*Il dottor volgare*», opus concinnum de iure civili et criminali, etiamnunc magnae utilitatis.

Praeterea de iure civili elegantissime scripsit Antonius Merenda (MDXXVIII-MDCLXV) qui omnium cum plausu docuit Pisis, Firmi, Ticini, Bononiae; acutus, non raro novus; cuius merito laudata etiam a Savigny opera praecipua sunt: *Controversiae iuris civilis* et *De cambio nundinali*. Neque praetereundi Marcus Aurelius Galvani ferrariensis, qui docuit Pisis, Ferrariae, Patavii, et inter cetera praestantem reliquit disputationem *De usufructu*; Marta et Gaitus neapolitani.

Alciato et Sighonio magis adhaesere, inter ceteros, Pignoria, Chesi et Gravina. Laurentius Pignoria patavinus sacerdos, canonicus tarvisinus, pietate, modestia, eruditione praestantissimus, disseruit sapienter *De servis et eorum usus veteres ministeriis*, et magna doctrinae copia contendit Paulum iurisconsultum Patavinum non fuisse.

Bartholomaeus Chesi, pisanus, in patria docuit ab anno MDCXXXII ad mortem (MDCLXXX): eius fama etiam extra Italiam

diffusa est; nam Heineccius, qui Chesi et Pancirolium amplissime laudat, censem nostrum unum fuisse e paucis, qui eo tempore eruditionem cultumque humaniorem ad leges recte interpretandas componerent. Cuius tibi non parvo auxilio erunt *Interpretationes iuris* et *Differentiae iuris*.

Sed omnibus praestat et maximus omnium tibi opitulabitur Ioannes Vincentius Gravina; de quo alias.

SYLVIA ROMANI.

VISIONES RURALES

HYEMS

*Arbor, quae nuper foliis onerata virebat,
iam nuda ad caelum brachia tendit; avis
non promit laetum tenui de gutture carmen;
sylva suas terrae reddit et exuvias.
Frigida bruma tenet pecudes pecudumque ma-*

*gistros
caulis, hyberno saevit hyemsque gelu.
Durescit campus, cessat morientibus herbis
luxurias segetum, cespite gleba putret.
Arboris et venas adstringit frigus, adurit
frondentes ramos, truncus et adstat iners.
Et dum ignava gelu durescunt prata, coloni
vimineas crates, nigra canistra parant.*

*Et fulvos alii iuncos viridesque genistas,
quae nova vitis erunt mollia vincla, legunt.
Fervet opus, ludunt inter se, innupta laborem
solatur cantu, cantitat et iuvenis,
cui iamnunc prima tegitur lanugine labrum;
innuptae furtim pectora tentat Amor;*

*subrident oculis, lactique alterna canentes
quisque suum exercet munus et officium.
Bis mulgent alii pecudes, aliique iuvencas,
quae sponte ad multras ubera plena ferunt.*

*Cessat opus, nam Vesper adest; ad flumina
currunt, clamosas voces pectore deiiciunt;
et iuvenes currunt, currunt ridentque puellae,
has, illos latrans insequitur catulus;*

*et dum se laetis clamoribus insectantur,
ludere et incipiunt, luce sub occidua
sistunt ad salices, mussantque suaviter una;
frigore at ora rubent, tecta paterna petunt.*

*Avia, quae stipulis stipulas superaddit, et ignem
excitat ut frigus pectore deiiciat,
incumbensque focus anima producit anili
flammas, dum fumo conlacriment oculi,
fabellas geminat pueris narrare iocosas,
— dum circum sedent ordine quisque suo, —
quas gaudent iuvenes petulant spernere risu,
parvulus at tremulae pendet ab ore senis.
Interea succincta mater disponere coenam
curat, nam cibum sumere et hora monet.
Pocula et ex fago fabricata et fictile vasum
in mensam confert unicuique suum;
quodque cavum flammis super imponebat ahe-*

[num
assidue vigilat; fervet ut unda fremens;
multifidum immittit laganum, croceosque pha-
selos
iam prius elixos miscet, et acre piper.

Dein circum sedent mensam pueri atque puel-
lae;
regina in medio sedet annulla domus.

Iuscula huic primum nurus afferit, ferculæ et
[inter

partitur natos, sumit et ipsa dapes
sedula quas nuper proprio collegerat horto:
nec domita agresti brassica nigra mero,
et neque tosta deest, quam coxerat ante, po-
[lenta,

iuncea quemque tenet fiscina, caseolus.

Parvulus interea puerilibus oscula iungens
blanditiis, somno cedere membra petit.

Avia tunc teneris tremulantia colla lacertis
adducit pueri, quem accipit in gremio.

Grates inde Deo reddit pro munere vitae,
votaque pro terrae fertilitate gerit.

Demum cuncta silent, hominesque feraeque
[quiescunt;

ante fores vigilat nocte latrans catulus.
Sic ruralis torpet hyberno tempore vita,
dum saevit Boreas, durat et arva gelu.

Romæ.

TITUS BELLATRECCIA.

Quidquid pudet dicere, pudeat et cogitate; as-
suescat animus sollicita semper et per vigili cu-
stodia discernere cogitationes suas, et ad pri-
mum animi motum vel probare vel reprobare
quod cogitati bona cogitationes alat; malas sta-
tim extinguit.

S. HIERONYMUS.

DE RHEDIS ELECTRIDE ACTIS

Rhedas electride actas primi invenerunt Galli, apud quos quum paullatim perfectiores in dies rhedae illae fierent, exteri populi sibi cuique eas addixerunt atque in ipsarum incrementum incubuere; omnium autem conatus illi electricae vis quasi armamentario perficiendo, quod « accumulator » appellant, maxime adhibiti sunt.

Electricis ea machina, quam Gramme reperiit (*reversibile* Galli vocant), electricis rhedis exstruendis viam explanavit, motorem ipsis procurans pro posse perfectum, continua evolutione impulsu, partibus sati simplex, absque ullo fragmentorum quae moverentur complexu. His, assiduo studio, multa eaque perfectiora in dies adiecta, tum circa virium cumulum, tum circa ducenti difficultates, tum circa ipsius motoris agilitatem. At princeps eius utilitas una semper in re consedit, in motu scilicet conversionis continuo atque certa lege perfecto.

Quare motoribus huiusmodi rhedas agi in dies vidimus, et experimenta satis ardua superata, deque eorum utilitate nulla quaestio iam superest. Vim ab eis cumulatam pilae quas vocabant *primariae* genuerunt; eas enim tantum tot inter electricis generatores circumferre tute licebat. Sed diurna praeparatio, itineribus parum apta, nocens aer, quem ipsae efflabant, spatium nimis latum ipsis necessarium, pretium denique haud parvum, effecerunt tandem, ut omnino eae derelinquerentur.

Tunc Gasto Planté, post assidua in rem studia, secundariam pilam invenit, « accumulator » nomine deinceps donatam, in qua electricides a quavis fonte chymica vel mechanica originem dicens, in accumulatoris materiis efficiebat actionem chymicam eamque mutabilem, ut fluctus electricus continuus atque usui aptus producere-

tur. Anno autem 1880 M. Faure aemulatione incitatus, chymicae accumulatorum generationi mechanicam sufficere instituit, qua præparations initiales breviores reddidit. Utraque igitur species in electricis rhedis adhibita est.

Atqui rhedae hæc partes omnes sibi ut traherentur necessarias in promptu habere videbantur: quum quis nimirum seriem accumulatorum in curru reponens motorem ageret, quem mechanica vis cum rotis colligavisset. Verum difficiliis adhuc res erat, sive tenuem accumulatorum potentiam respexeris, sive nimium pondus, sive electricae vis, quae necessaria currui esset, ini- quum semper pretium. Attamen ipse Faure una cum cl. v. Raftard experimenta tentare coepit, primamque electricam rhedam exstruxit per ferreos tramites agendam. Rheda haec, quinquaginta ad hominum sedes apta, pilorum seriem sexaginta elementis constantem gestabat, atque viginti millia passuum fere percurrere potuit.

Interea trirotæ automobili eadem ratio adiecta est, et Ilantaud in officina prima rheda exstructa, quae triginta millia passuum confidere libera posset. Quo exitu incensi machinarii fere omnes acrius in rem intenderunt, ut motores novos perficerent, maxima vi atque agilitate praeditos. Interea vero Americani, aëreo filo duci currus instituerant, ut accumulatorum pondus vitarent, quod *Trolley-Sistem* vocant; Budæ in Hungariae urbe capite subterraneæ actioni commissi currus sunt; in Gallia denique e cippis ex metallo, tacta superficie, fluxuum electricorum receptio inita est. Deinde ad mechanicas liberas rhedas nova studia inlata, ac Dion primus trirotam vapore actam reperit, eumque secuti sunt Serpelletius et Levasserius, cuius rotæ petrolei fervore volvi coepta sunt. Ad rhedas vero electricide actas omnium animi peculiariter inclinabant; quare « Automobilium collegium » Galliae certamina indidit, ut electricae liberae rhedæ quam maxime

perfectæ præmiis donarentur, resque visa est optatis feliciter respondisse.

Huiusmodi rhedas accumulator unus peragebat, quippe vires tribuebat atque moderabatur. Erat accumulatoris genus ex plumbō binis plumbeis laminis in sulphurico acido demersis, ita ut electricis electiva vi alia in peroxydum, alia in plumbum spongiosum immutarentur. Faure vero cavit ut materies activa, potius quam electrolitice eam haberet, in oxydi formam reduceretur, quo id est consequutus, ut prævalida vi accumulator instrueretur.

Aliud postea accumulatoris fuit genus, « fulmen » dictum. Quod quidem in vase ex *celluloide* tres supra decem laminas cuiusque ferebat *elementi; positivas* sex, quarum esset electricam vim condere; ce- teras *negativas*; pondus autem cuiusque elementi chg. 7,5 vix attingebat; plus de- nique quam vigintiquinque Wat-horæ pro singulis chg. includebantur.

Haec de primis rhedas electricide agendi rationibus adnotasse sufficiat.

R. M.

COMMUNIA VITÆ

De potionē, quae vulgo « Arabica » nuncupatur.

Quoniam in ALMA ROMA utiliter simul atque libentissime de novis inducendis in latinum sermonem vocabulis, quae hodier- nis rerum adiunctis subveniant, agi vide- mus, fas mihi sit de deliciosissima illa fumanti potionē aliiquid dicere, quam in ca- tillulis sive ad mensae finem, sive, nec minus, extra, infra diem sorbillare consue- scimus. Semina ex quibus molitis expro- mitur vulgo « Arabicae fabae » nuncupata sunt, indeque potionī nomen « ex fabis arabicis », vel, brevius, « arabicae ».

Quaeso, vero, ecquid cum fabis, quae legumina prorsus herbaceum genus et farrinaceum sunt, commune ista habent semina, quae castanearum ad instar, et glandium, et fagorum ex arbore demittuntur in terram? Quid commune, si formam utriusque et factionem compares? Quid in arte coquendi? Quid in comedendi ritu? Numquid, sicuti fabae, illa semina ferventibus credimus ollis et aquis, ut mollientur ad esum? Illae quasi frumenti genus, ista ligneum quid potius cuique patent. Excludam igitur ab iis seminibus nuncupandis omne quod fabarium est; imo et quod Arabicum, haud aliter ac repuli quodcumque ex fagis est et ex quercubus; idque eo potissimum, quia eodem iure haec dicerentur semina Arabiae propria, quo frumentum sive Galliae, sive Italiae, sive Americae proprium diceretur. Itaque quum regio in Aethiopia sit, quae Kaffa nominatur, ibique arbores illiusmodi abundant, talesque sint ut non modo tostis e seminibus optima ac praestantissima potio, de qua agimus, conficiatur, sed ex lignis eorum involucris rite adustis deducatur qualis vix e speciosissimis tum Arabiae, tum Americae trahitur, si vobis ita visum fuerit, patriae nomen — quod mutatis mutandis et in omnes prope gentium sermones inductum rei est — semini latine imponam et « kaffeam » (subaudi: glandem) semina nuncupabo; « kaffeum » autem, neutri generis, quod aromaticum mulsa aqua decoctum sorbemus.

Qua voce habebitis, quae inde voces ad diversa nascuntur, nempe « kaffeicum », « kaffarium » aut « kaffeariam tabernam », et etiam « kaffeibulum » (sunt enim qui potionis sorbendae nimis indulgeant), aliasque sexcentas insuper, nec ipso excepto kaffeariae taberna servo, quem « kaffeiforum » vocabo, neque me de hoc argumento scribente, qui ero

KAFFEISOPHUS.

ANNALES

Inter Germaniam et Iaponiam pacatum contra « Communistas » conventum.

Pactum contra « Communistas » inter Germaniam Iaponiamque primis superioris mensis decembribus conventum est non quidem militare, ut passim initio Galli praesertim credidere, neque in Russicum regnum, si verum haberi debet discriminem, quod e Moscovia praedicatur, inter Sovieticam, et universi orbis rationem illam, quae Comintern vulgo nuncupatur. Atqui designari quidem et confici voluit validum praesidium adversus eorum interpositionem in rebus cuiusque civitatis internis, non solum internam earum pacem earumque civilia commoda, sed totius orbis quietem et tranquillitatem ordinis minitantem. Hinc sperare licet fore ut nationes aliae, eaeque plures, ad huiusmodi pactionem accedant.

Americanus de pace conventus.

Neque profecto ab hoc fine abductus est Bonearensis ille conventus de pace inter omnis Americae populos servanda, in cuius aditali sermone Rooseveltus, Civitatum Foederatarum Septemtrionalium Praeses, severe Europam quoque arguit de procurandorum armorum contentione, et auctor fuit ut Americanae gentes omnes fidem darent in quavis conflictatione se neutri parti fauturas.

Nationum Societas.

Apud Nationum Societatem de Hispanorum *Communistarum* provocatione disceptatum est contra Italiam Germaniamque, quae *Nationalistarum* gubernio adhaeserunt; nulla vero eius ratio habita est, sed tantum Coetui illi « de non interventu »

mandatum, ut cautiones maximas adhibeat ad coetus ipsius fines assequendos.

Apud Sinas seditio.

Dum in Hispania bellum civile furere pergit, in Sinis — utrum et ibi Russia auctrice, incertum — tentatur: in Chen-Si provincia Ciang-Sue-Liang, rebellum dux, per proditionem Nanchinensis gubernii Praesidem Ciang-Kai-Shek comprehendit et in vincula adducit; post vero dies aliquot incolumem eum reddit, seque ad eius arbitrium tradit. Actio in eum constituta est poenaque inficta; sed statim venia sequitur.

Eduardi VII, Anglorum regis, abdicatio.

Eduardi VII, Anglorum regis, propositum uxorem ducendi privatam quandam civem Baltimorensem et quae matrimonio duo iam abruperat, discriminem creavit inter ipsum regem, Anglicanam ecclesiam, civiles leges, publicae rei administros et populi legatos, imparibus nuptiis omnino adversantes. Hinc factum est ut Eduardus a regno se abdicaverit, — quod fratri natu minori Georgio, ordine VI, cessit —, seque in privatam vitam adduxerit.

POPULICOLA.

Publii Syri sententiae:

Bene cogitata si excidunt, non occidunt.
Beneficia plura recipit qui scit reddere.
Beneficium qui dare nescit, iniuste petit.
Benevolus animus maxima est cognitio.
Bis vincit qui se vincit in victoria.
Bona fama in tenebris proprium splendorem obtinet.
Bona opinio hominum tutior pecunia est.

VARIA

**Qui adversus multos bellum gerit, eos superare potest, quamvis viribus inferior sit, si modo pri-
mum impetum sustinere queat.¹**

Magna erat vis Tribunitiae potestatis in Romanorum republica, atque adeo, ut Senatus quoque formidabilis esset. Sed eadem quoque pernecessaria erat ad frenandam ambitionem Optimatum, qua necesse fuisset corrumpi eam Rempublicam longe prius quam corrupta fuit. Sed, ut ceteris quoque in rebus accidit, ita hic quoque evenit, ut in re optima et Reipublicae utilissima formidabile quoddam lateret malum, cui vel legibus, vel alia aliqua ratione obviam eundum fuit. Nam tanta esse coepit tribunorum plebis insolentia, ut terror esset cum patribus, tum universae civitati; ex qua re natum esset proculdubio malum aliquod, publicae libertati contrarium, nisi Appii Claudii prudentia modum invenisset, quo temperari frenarique illorum impetus, furoresque possent per collegarum intercessionem. Deligebant enim aliquem ex tribunis, quem vel Patriciorum amore, vel patriae reverentia, vel alia aliqua spe, facilius permoveri posse sperabant, eique auctores erant, ut si quam rogationem proponere conarentur ceteri tribuni, quae partibus aut bono publico adversari videretur, ipse illis sese opponeret, eamque impediret. Quae res ad frenandam illam petulantiam tribunorum plurimum profuit, et Reipublicae longo tempore existit salutaris. Nobis vero documentum esse potest ad expendendos diversorum hostium conatus, et utrum plus possint plures, qui coniunctis viribus inferunt bel-

¹ Ex NICOLAI MACHIAVELLI opere: *De republica disputationes ex prima decade T. Livii latine vertit H. BINDI.*

lum uni alicui, an unus adversus plures. Certum est enim plures illos, quorum coniunctae vires persaepe superant unius potentiam, minus tamen efficere solere, quam unicus, quamvis ille longe inferior sit. Nam, ut cetera omittamus, quae apparatus ab unius voluntate consilioque pendentes, faciliiores reddere possunt iis qui a pluribus gubernantur, hoc certe huiusmodi, sive foederibus, sive coniurationibus summi momenti aestimari debet, quod qui unicus est, siquidem prudentia aliquantum polleat, et primos impetus vel leviter sustineat, facile possit foederatorem aliquem in suas partes pertrahere, atque ita plurimum illorum potentiam frangere, ut ipse superior evadat.

Huius rei exempla ab antiquis petere non opus est, quamvis multa apud illos exstant; recentia enim magis movere videntur. Anno Servatoris nostri 1404 coniuravit adversus Venetos universa Italia: illi vero primo impetu oppressi et vehementer afflicti, ut ne producere quidem in campum militem auderent, paulo post Ludovicum, Mediolanensem praefectum, munieribus corruptum, in suas partem pertraxerunt; quo facto cum ceteris coniuratis pacti sunt, ut non modo recuperaverint omnia, quae prius amiserant, sed Ferrarensis quoque Imperii partem obtinuerint: ita quidem, ut qui paulo ante bello succubuisserent, postea conditionibus pacis ceteris superiores exstiterint.

Ante paucos annos, contra Gallos universus prope Christianus orbis coniuravit; sed nihilo minus, antequam id bellum perficeret, Hispani a ceteris coniuratis ad Gallos defecerunt, et cum iis transegerunt; ex qua defectione reliqui coniurati a proposito desistere et cum Gallis etiam componere coacti fuerunt.

Ex quibus facile coniicere possumus, quotiescumque a multis coniunctim bellum contra unum aliquem principem aut Rem publicam motum fuerit, toties unicum illum,

si modo primos impetus tolerare queat, superiorem evasurum; sed si tantas vires non habeat, ut primos impetus tolerare possit, multis periculis obnoxius erit: sicut Venetis anno 8 accidisse vidimus. Nam et ii, si Gallorum primos impetus sustinere potuissent, et cunctando eousque bellum producere, donec coniuratorum aliquem in suas partes pertraxissent, ruinam illam, quam passi sunt, facile devitassent; quam utique ea sola causa devitare nequierunt, quod non habuissent eas vires, quibus primum hostium impetum excipere atque sustinere potuissent. Cui rei argumento est, quod Pontifex primum statim illis, postquam res suas recuperasset, reconciliatus est. Cuius exemplum sequutus est etiam Hispanus deinde; et si nulla exstitisset occasio, maluisset postmodum eorum uteque Langobardiae imperium Venetis conservatum esse, quam a Gallis fuisse occupatum; videlicet ne Gallorum vires in Italia tantae forent. Potuissent equidem tunc Veneti imminentibus malis occurrere, si aliquam imperii sui partem, ante motus bellicos, hostibus tradidissent ut reliquum possent conservare; sed ea res, ut prudenter antequam arma contra suscepta fuissent, fieri potuisset: ita inter ipsos motus bellicos nequaquam honesta fuisse. Sed paucierant Venetiis, qui ante motus ipsos talia pericula praevidere potuerint, et adhuc pauciores eorum, qui morbi eius remedium cernere, aut suadere potuissent.

Finem ergo huic disputationi faciens, pronuntio: sicuti Romanis olim salutare remedium contra Tribunorum ambitionem fuit ipsa multitudo Tribunorum, ob quam semper aliquis eorum in partes Reipublicae pertrahi potuit, ita semper remedio esse posse unicuique Principi, quem multi hostes contra illum coniurarunt, ipsam hostium multitudinem, si modo prudens sit, et convenienti modo aliquos ex coniuratis ad defectionem sollicitare, et in suas partes pertrahere possit.

Milvius et Columba.

Milvii metu Accipitrem adsciscunt Columbae, a quo defenderentur. Accipiter admissus, quasi contumaces castigans, plus stragis uno die in columbario edidit, quam longo tempore dare Milvius potuisset.

Indicat fabula malorum et crudelium omnium patrocinia esse cruenta.

Pro iudicibus mensarum elegantiibus.

ESCARUM ORDO:

Iusculum hispanicum.

Artocreas ex oryza, pullorum extis refertum.

Gadii merlucii elixi, ocymino embemmata conditi.

*Turdi inter panis crustula veru assi.
Libum mellitum Senensium more.*

Locosa.

Romae modo concendit currum electride actum popularis quaedam mulier, quae puerulum forte quadrum acerba manu trahebat.

Concendens par hoc viatorum omnium statim aures oculosque idcirco in se convertit, quod filiolum, caput fascis obligatum atque effuse lugentem, mater durioribus verbis iam increpare non dubitaret.

Quo singulari spectaculo commoti, quem ex adstantibus nonnulli in male affectum natum tam violentam mulierem graviter carperent, haec:

— Nonne — inquit — merito atque optimo iure improbulo isti succenseo? Ensodes, aspice quodnam sibi malum intulerit, ut milites imitaretur; eiusmodi sane, ut, ceteris omnibus viis frustra tentatis, ad valetudinarium eum modo adduci oporteat.

Inter haec, mulier fasciis pueruli caput per iram exuit, atque, obstupescientibus omnibus, ex metallo matula emicuit, galeae instar, tam arcta tempora circumducta, ut nonnisi vel medici, vel potius... officis opera detrahi posse videretur.

A. T.

Aenigmata.

I

Totum haud est totum: cervicem tolle, docebit.

II

Totus despicitur; pollet primo; obstrepit alter.

Aenigmata in fasciculo mensis Octobris MCMXXXVI proposita his respondent:
1) Mars-Mors; 2) Pica-Spica.

LIBRORUM RECENSIO

ANTONIO SANTORO, *Tibulliana*, parte I e II (Altamurae, ex typ. fratelli Portoghesi, 1935, 1936; pag. 46, 32).

Longam ac vexatam illam quaestionem, quis nempe tertii et quarti libri corporis tibulliani carmina conscripserit, his duobus opellis auctor clarissimus breviter ac lucide pertractat. Satis constat criticos in diversas abiisse sententias, qui, quum una voce primum atque alterum librum vere Tibulli opera esse faterentur, reliquos censuerunt ex aliorum poëtarum reliquias esse ignotum in modum coacervatos. Quis enim Lygdamus? quis auctor *Panegyrici Messallae*, quem musam tibullianam minus redolere putabant? Quomodo denique — quaerere videbantur — tibullianis haec carmina, de quibus longe alii sentiunt, accesserunt?

Illud contra stat, tum codicum auctoritate tum antiquorum virorum iudicio, omnes tibulliani corporis elegos, antequam nova ars critica orta est, uni poëtae tributos fuisse. Quam opinionem Antonius Santoro novis argumentis fulcire conatus, novam eamdemque veterem viam ingreditur, id omnibus viribus nitens, ut omnia Tibullo restituat, postquam quidquid contra docti elucubravissent strenue refutaverit.

Minime hic est locus totam auctoris argumentandi rationem ostendere: satis erit tantum adnotare eum in hanc sententiam devenisse, *Lydamum* non re fuisse nec nomen esse sub quo ipse Tibullus sese celaverit, sed solum nomen, quo poëta usus fuerit ut quamdam fabulam conficeret. Qua re doctissimus Vir sic nodum quaestione se dare ac vere solvisse censem? Multi doctique homines quosdam locos animadverterunt, in quibus Ovidius sive in rebus sive in verbis vel in versibus poëtas alios alio modo est imitatus. Itaque vestigia clara ac manifesta primi et secundi libri corporis tibulliani, quos omnes Tibullum confecisse dicunt, Cvidius frequentiora praebet aequae ac tertii libri. Quod quum persaepe in aliis carminibus inspicitur, tum praesertim in illis elegis (*Am.* III, 9), quibus mortem Tibulli teneris sensibus Naso deflet quibusque condendis, quo melius amici nomen recoleret, eius rebus eiusque verbis pluries est usus. Quod minus, ut patet, fecisset, nisi et tertium librum elegorum ut priores eidem poëtae ipse adscripsisset, nedum eius auctorem nulla ingenii vi praeditum censisset.

Iisdem fere argumentis utitur Santoro ut cum *Panegyricum Messallae* tum cetera, quae quarto libro continentur, Tibullo contra fere omnium opinionem vindicet. Quod propositum is videatur plene assecutus; nam et quae obstant parvi, ne dicam nullius momenti esse demonstrat et nonnulla iudicat, quae tantum cum Tibulli vita bene congruunt, nisi forte aliqua nova sententia ducti a veritate penitus abhorre velimus. Tot enim similia sunt cum carminibus, quae vulgo Tibullo tribuuntur, ut iure haec quoque, de quibus a compluribus ambigitur, eiusdem poëtae opera esse dicantur.

Non nostrum est in his paginis de tanta quaestione sermonem producere; illud vero neminem in dubium revocare posse putamus, quidquid breviter atque enucleate Santorus expousuerit, multum conferre, ut recte ac vere Tibulli opera intellegantur, neglectis tandem quae nonnulli latinarum litterarum interpretes somniati videntur.

Harum disputationum auctori toto pectore gratulamur, eumque adhortamur ut, incepsum iter prosecutus, aliis eiusmodi laboribus conscribendis operam navet.

IOS. MORABITO.

J. ISSELÉ, C. SS. R., latinitatis magister. *De Latinorum sermone. — Praecepta.* (Ex typis Desclée de Brouwer et Soc., Parisiis. — Pagg. 260; Pret. 12 fr.).

Optimo sane consilio clarus A., cuius praecpta haud semel nec sine compendiis nos *Almae Romae* socii hinc hausimus, de latinorum sermone edisserit eodem sermone: redditur tandem ad classicam latinae docendae discendaque linguae rationem. Ut enim natando natare discimus, ita etiam quolibet loqui sermone nonnisi eodem loquendo recte discimus. Omnia fere hic dixerim nitere, rerum dicendarum selectionem, ordinem, eloquium, vestem ipsam faciemque externam, ut non discipulis modo, sed et magistris eo plenius lectio afferat gaudium intimamque laetitiam. Nec onerant hic praecpta neque, uti solet, fastidio afficiunt, quippe quae non imposita extrinsecus et paene desursum ea sentias, sed ex opportune selectis sententiis ipse prono veluti alveo et quasi natura sua depromas, duce magistro. Volumen in duos libros est sapienter distributum, quorum primus de voce latina *verbum* heic forte aequivocum erat ideoque vitatum est) apte eligenda, alter (curnam dicitur *secundus?*), brevior de voce latina apte collocanda. Primi libri pars prior (curnam *prima?*) est de voce latina seiunctim sumpta, seu de partibus orationis, ut de nomine substantivo et adiectivo, de pronomine, de verbo, de adverbio, de praepositione, de coniunctione: altera libri pars est de voce latina coniunctim sumpta, seu de propositione; quod, siquid opinor, minus congruere videtur cum titulo libri eiusdem de voce latina apte *eligenda*; non enim de eligenda, sed potius de recte collocanda dixerim rem esse in propositionibus, ideoque ad alterum librum magis eam spectare. Sed hi naevi sunt, quibus non minui, sed potius augeri videtur operis nitor.

S. ROMANI.

IMPRIMATUR: Fr. A ZAMPINI. Ep. Porphyreonen.,
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.
Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

REGULUS

[12]

ACTIO DRAMATICA HENRICI IOSEPHI COLLIN

(In Latinum convertit VALENTINUS FEHÉR).

Non solum vires corporis, sed facultates animi
Elanguerunt. Terribilis est hercle scitas,
Quae fecit me veternosum; iam fallax opinatio
Falsas mihi obiicit imagines, miscet praesentia
Peractis, sic ut ex cogitationum ambagibus
Aegre exitum inveniam. Quom rursus ad me redeo,
Res una me solatur, per quam me cognosco Regulum.
Pro vobis ardet meum caput, pro vobis palpitat
Cor et de vobis somnio. Ego vos amo maxume.
O hoc mihi remuneramini, vos obsecro,
Sicut solent dii obsecrari. Permutatio
Haec esset Punica maxume. Nolite ad hanc accedere.
ME. Edice, Appi, sententiam. — AP. Ego una cum Regulo
Hoc clamo patribus: Nolite hanc accipere, permutatio
Haec esset Punica maxume. — M-. Computemus nunc suffragia.
BO. Sinite me loqui paulum. Rem commissam mihi
Nondum absolvi penitus; dicturus sum gravissuma.
ME. Edic dum, sed scito te nunc hic dicturum ultimum.
BO. Edepol ne tute falso cogitasti, Regule,
Quom tu Karthaginensis tam caecos esse arbitratus es,
Velut si non essent ad rem parati pessumam,
Quae est, quod tibi vindicta pluris est, quam liberatio.
Ego quod nunc ago, Karthaginenum civitas
Mi praescripsit. Iuro per Ammonem terribilem:
Pol indipiscetur temet vindicta crudelissuma.
Non in cruce morieris, istuc esset tibi lenissimum.
Novom tibi mortis genus excogitabitur,
Ut in cruciatibus doloribusque maxumis
Exstinguatur tua vita, ut qui nunc sunt et posteri
Horrore illud et te memorent. — ME. Tu bestia, quin taces?
PU. Me perde sis, Diespiter! — VA. Deturbate mastigiam!
MA. Apage te hinc! — VA. Sequamini, istum comprehendite!
ME. Recedite, recedite! Lictoremne mittam contra patres?
Ius aestumate gentium. — VA. Quid ita, consul? Regulus
Tamen captus manet? — RE. Romae salutem respice
Sis et meam fidem datam. — VA. Ad fidem coactus es.
RE. Valeri, me attenuas, nam qui mori nescit, is cogitur.
VA. Nos te retinemus, non rumpis fidem. Reputa Cornelium,